

sapientiam, et gloriam Dei; ad nos deferrent; et ascendendo, piorum merita, et impiorum demerita ad cospectum Dei referrent.

Gradus hi novem, sunt primus rerum atque entium ordo, in profundum, a summo ad imum ductus. Et alius ordo in latitudinem actus, in singulo quoque gradu. In primo nimirum productorum gradu, est unitas primaria, et ab ea, et in ea unitates omnes, eam ordine consequentes, novem et ipsæ, ut hæc ratio dictat, in latitudinem gradibus distinctæ. Ita ut primariæ unitati, proxima Essentiarum sit unitas, sequatur unitas Vitarum. Tertio sit loco, Mentium unitas, quarto animarum. Quinto Naturarum unitas, sexto unitas Qualitatum; septimo Formarum. Postrema sit omnium unitas Corporum. Ita sit, ut quot sunt in universitate post principium rerum gradus in profundum, totidem sint etiam gradus, earum latitudinis. Quem ordinem sicut primum illum, gradus nominavimus, sic seriem proprio nomine appellabimus. In qua serie unitatum in latitudinem, graduum singulorum latitudinem ratio persuadet esse locatam. Nihil enim in universo, sine ordine certo putamus constare. Alioquin nec intelligibilis ille, neque sensibilis hic mundus, perfectissimus esset, (quod omnes sapientes asserunt) si confusionem in essentialibus eius partes admitterent. Ita inquam sunt singuli in sua serie, rerum genera ordinata, ut in unitatum latitudine, omnes, nulla excepta sint unitates, a primaria, et regina unitate, et in ea productæ, et consistentes. In unitate essentiæ, sit et primaria essentia, et essentiæ reliquæ novenario conclusæ. In unitate vitæ, sit et primaria vita, et vitæ reliquæ, novenario itidem conclusæ. In unitate intellectus, et primarius intellectus, et intellectus, et intellectus reliqui novenario comprehensi. In unitate animæ, et anima primaria, et animæ omnes novem numero contentæ. In naturæ unitate, et natura primaria, et naturæ omnes, novenario conclusæ. Idem de reliquibus tribus. In unitate qualitatis, qualitas primaria, et qualitates in novenarium contentæ. Et in unitate formæ, forma primaria, et formæ aliæ septem. In corporis itidem unitate, et primarium corpus, et corpora reliqua septem, aliis corporum generibus comprehensa. Ita ut extra has latitudines, nihil eorum ordine, aut serie sit relictum. Tertius itidem in longitudinem est ordo, quem catenam libuit nuncupare. Qui quidem est eiusdem generis, seu speciei, per gradus omnes transitus. Hac exemplo appositissimo declaremus. Et lucis unitas, et unitatis lux. Est, et essentia lucis, et lux essentiæ. Et vita lucis, et lux vitæ, et Mens lucis, et lux mentis, et lucis anima, et anima lucis. Et natura lucis, et lux naturæ. Et qualitas lucis, et lux qualitatis. Et forma lucis, et formæ lux. Et lucis corpus, et lux corporis. Ita lux, per omnium graduum longitudinem ordine rectissimo percurrit. Et alius numero quartus ordo, quem soliditatis ordinem placuit vocare. Ex tribus enim illis longitudine, latitudine, et profunditate, sicuti corporum nascitur soliditas, et stabilitas, et firmitudo: sic ratio longe melior suadet, in rerum omnium universitate, esse firmitatem, et stabilitatem, et soliditatem longe quam sit in corporibus, validiorem. Hanc autem soliditatem ita explicamus. Omnia supera sunt in inferis omnibus, pro horum capacitate. Et infera omnia sunt in superis, pro horum excellentia. Ut unitas quidem est, in omni essentia, in omni vita, in omni mente, in omni anima, in omni natura, in omni qualitate in omni forma, in omni corpore. Per unitatem enim, et unum hæc omnia, et constant, et constitunt. Sed et essentia, est in omni vita, in omni mente, in omni anima, in omni natura, in omni qualitate, in omni forma, et in omni corpore. Esse enim habent hæc omnia. Sed et vita, in omni est mente, in omni anima, in omni natura, in omni qualitate, in omni forma, in omni corpore. Sed et mens, in omni est anima, in omni natura, in omni qualitate, in omni forma, in omni corpore. Anima quoque, in omni est natura, in omni qualitate, in omni forma, in omni corpore. Natura etiam in omni est qualitate, in omni forma, in omni corpore. Et qualitas in omni forma, et in omni corpore. Et viceversa, omne corpus est in forma, in qualitate, in natura, in anima, in mente, in vita, in essentia, in unitate, et per hanc in uno. Sic forma est, in qualitate, in natura, in anima, in mente, in vita, in essentia, in unitate, et per hanc in uno. Ita qualitas est in natura, in anima, in mente, in vita, in essentia, in uniunitate, in uno. Natura itidem, in anima, in mente, in vita, in essentia, in unitate, in uno. Anima quoque est in mente,